OFFICIUM

DE SANCTISSIMO NOMINE

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Semel in Mense a Cler. Reg. Paup. Matris Dei Scholar Piar. recitandum ex Concessione S. R. C. die 7. Aug. 1723.

AD MAIUS PIETATIS INCREMENTUM

NEAPOLI
ÉX TIPOGRAP HIA ANDREÆ FESTA
In Via Carbonaria n. 104

MDCCCLV

Ordinis Clericorum Reg. Matris Dei Scholarum Piarum.

Cum ex parte P. Joachim a S. Anna Procuratoris Generalis Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum, nomine etiam totius suae Religionis, pro concessione Indulti recitandi semel in Mense Officium Sanctissimi Nominis Mariae, Sac. Rit. Congregationi enixe supplicatum fuerit; Sacra eadem Rit. Congregatio, attentis circumstantiis in supplici libello expressis, huiusmodi instantiae benigne annuendo, indulsit, ut in posterum semel in mense, die non impedita, et exceptis Adventus, Quadragesimae, Quatuor temporum, ac Vigiliarum temporibus, juxta concessionem sub die 13. Martii prox. Ordini Servorum B. M. V. factam, ab omnibus, qui in praefata Religione ad Horas Canonicas tenentur, Officium petitum recitari possit, et debeat. Die 7. Augusti 1723.

F. Card. Paulutius Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiep. Ap. Secret.

RUBRICA

1. *Semel in Mense extra Adventum, Quadragesimam, Vigilias, et quatuor tempora, die non impedita Officio novem Lectionum etiam translato, seu feria* 2. *Rogationum, seu quando remittenda est aliqua Dominica, fit de Sanctissimo Nomine B. M. V. sub. ritu semiduplici.*

2. *Omnia dicuntur sicut in die Festi, quod ex indulto S. R. C. sub ritu* 1. *Classis cum octava celebratur : servatis tamen in Off. et Mis. rubricis generalibus tempore Paschali, et post Septuagesimam.*

3. *In* 1. *Noct. semper dicuntur lectiones de Scriptura occurrente : in* 2. *et* 3. *assignantur infra singulis mensibus, quae recitantur etiam diebus non impeditis Officio maioris, vel aequalis ritus per Octavam Festi ab iisdem Cler. Reg. celebrandam.*

4. *In primis, et secundis Vesperis servetur Rubrica de Concurrentia, et Occurrentia Festorum : quae etiam servanda est in ordine ad Commem. et Sanctorum suffragia.*

5. *Missa* Vultum tuum etc. *ut in Festo :* 2. *Ora. de Sp. Sancto.* 3. *Eccl. vel pro Pap. Si vero occurrat Commem. de Simpl.* 2. *erit de Sancto*, 3. *de Sp. Sancto.* Gloria *sine* Credo: *Praef.* Et te in Veneratione.

Tempore Paschali, omisso Graduali, dicuntur duo versus cum quatuor Alleluja : *ut in Votiva B. M. V. tempore Pasch. Post. Septuagesimam vero, omissis* Alleluja, *et versu sequenti, dicitur Tractus* Gaude Maria etc. *ut ex Votiva eiusdem a Purificatione usque ad Pascham.*

COMMEMORATIO

SANCTISSIMI NOMINIS

B. MARIÆ VIRGINIS

SEMIDUPLEX

AD VESPERAS.

Antiphona.

Dum esset Rex, *cum reliquis de Laudibus, Psalmi, ut in Officio parvo.*

Capitulum.

Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

Hymnus.

Ave Maris stella.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Antiphona.

Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto foemineo sexu, sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tui sancti Nominis commemorationem.

Oratio.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut Fideles tui, qui sub sanctissimae Virginis Mariae Nomine, et protectione laetantur, ejus pia intercessione a cunctis malis liberentur in terris, et ad gaudia aeterna pervenire mereantur in Coelis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus Per omnia saecula saeculorum. Amen.

Pro suffragis. Petrus Apostolus. *cum reliquis.*

AD MATUTINUM

Invitatorium.

Sancta Maria Dei Genitrix Virgo: * Intercede pro nobis.

Psalmus. Venite exultemus etc.

Hymnus. Quem terra, pontus, sydera.

Antiphonae, Psalmi, et versiculi Nocturnorum ut in Officio parvo B. Mariae.

Ad Lectiones primi Nocturni.

℞. *i.* Sancta, et immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio * Quia, quem Coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia quem.

℞. *ii.* Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum, quia, cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Deus. Et de meis visceribus.

℞. *iii.* Beata es Virgo Maria, quae

Dominum portasti Creatorem Mundi * Genuisti, qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Ad Lectiones secundi Nocturni.

℟. *i.* Sicut Cedrus exaltata sum in Libano, et sicut Cypressus in Monte Sion: Quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi suavitatem.

℟. *ii.* Quae est ista, quae processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem *. Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convalium. Viderunt eam.

℟. *iii.* Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit * Et videntes eam filiae Sion beatissimam praedicaverunt, dicentes * Unguentum effusum Nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

Ad Lectiones Tertii Nocturni.

℟. *i.* Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima *. Quia ex te ortus est Sol justitiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tui sancti Nominis commemorationem. Quia ex te.

℟. *ii.* Beatam me dicent omnes generationes * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, et sanctum Nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria Patri. Quia.

AD LAUDES

Et per Horas Antiphonae.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Psal. Dominus regnavit. *Cum reliq. de Laudib. Dom.*

Ant. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiae Jerusalem : ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hyems transiit, imber abiit, et recessit : surge, amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

Capitulum. Ab initio.

Hymnus. O gloriosa Virginum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ad Benedictus Antiphona.

Beata es, Maria, quae credidisti : perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino, alleluja.

Oratio.

Concede quaesumus etc. *ut supra.*

Pro suffragiis.

Gloriosi Principes terrae, *cum reliquis.*

Ad primam in ℟. *brev. dicitur.* Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam. Ant. Laeva ejus.

Capitulum. Ab initio.

℟. *brev.* Specie tua, * et pulchritudine tua. Specie tua.

℣. Intende, prospere procede, et regna. Et. Gloria Patri. Specie tua.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Ad Sextam Ant. Nigra sum.

Capitulum. Et sic in Sion firmata sum, etc.

℟. *brev.* Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adiuvabit.

℣. Deus in medio eius non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri. Adiuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et praeelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam Ant. Speciosa.

Capitulum. In plateis.

℟. *brev.* Elegit eam Deus * Et praeelegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et praeelegit. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

In Secundis Vesperis omnia ut in primis.

Ad Magnificat Ant.
Beatam me dicent omnes generationes: quia Ancillam humilem respexit Deus.

Oratio ut supra.

Missa Vultum tuum, *ut in Festo.*
Gloria in excelsis, *sine* Credo.
ii. Oratio de Spiritu Sancto.
iii. Oratio Ecclesiae vel pro Papa.
Praefatio de B. V. Et te in veneratione.

IN COMMEMORATIONE
SANCTISSIMI NOMINIS
B. MARIÆ VIRGINIS

Lectiones Secundi, et Tertii Nocturni pro singulis Mensibus per Annum.

Mense Januario et Februario.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bonaventurae Episcopi.

Spec. B. M. V. lectio III.

Lectio IV.

Nomen Virginis Maria. Hoc nomen sanctissimum, Nomen dulcissimum, Nomen dignissimum, tam sanctissimae, tam dulcissimae, tam dignissimae Virgini convenientissime est impositum. Maria enim amarum mare, Maria est stella Maris, et Maria illuminata, vel illuminatrix. Maria Domina interpreta-

tur. Maria autem est mare amarum daemonibus, et stella Maris hominibus, et illuminata, vel illuminatrix Angelicis Spiritibus: Domina creaturis omnibus. Maria, inquam, daemonibus est mare amarum spiritualiter, et Maria hominibus est stella maris officialiter, et Maria Angelis illuminatrix est aeternaliter, et Maria creaturis omnibus est Domina universaliter. Tu autem etc.

℟. Sicut Credus etc.

Lectio V.

Maria utique est mare per affluentem Spiritus Sancti repletionem; Maria est amara per affluentem Filii sui passionem: Maria est mare amarum per submergentem diaboli suffocationem. Maria dicitur mare propter affluentiam, et copiam gratiarum. Unde scriptum est in Ecclesiaste: Omnia flumina intrant in mare: flumina sunt charismata Spiritus Sancti. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam. Flumen enim gratiae Angelorum intrat in Mariam, et flumen gratiae Patriarcharum, et Prophetarum intrat in Ma-

riam, et flumen gratiae Apostolorum intrat in Mariam, et flumen gratiae Martyrum intrat in Mariam, et flumen gratiae Confessorum intrat in Mariam, et flumen gratiae Virginum intrat in Mariam: omnia flumina intrant in mare, idest omnes gratiae intrant in Mariam. Tu autem etc.

℟. Quae est ista etc.

Lectio VI.

Maria in passione Filii sui valde amara fuit, quando suam ipsius animam gladius pertransivit: unde ipsa bene potuit dicere illud Ruth. Non vocetis me Noémi, idest pulchram, sed vocate me mara, idest amaram, quia amaritudine valde replevit me omnipotens. Amara fuit Noémi, quia duo filii sui fuerunt mortui. Noemi pulchra et amara signat Mariam, pulchram quidem per Spiritus Sancti sanctificationem, amaram vero per filii sui passionem. Duo autem filii Mariae sunt homo Deus, et homo purus; unius enim corporaliter, alterius spiritualiter mater est Maria. Maria est mare amarum diabolo, et Angelis ejus per ipsam op-

pressis, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Aegyptiis in ipso submersis, de quibus habetur in Exodo: Reduxit super eos Dominus aquas maris. O quam amarum, et timendum est hoc mare Aegyptiis! O quam amara, et timenda est haec Maria daemonibus! Fluunt, et pereunt, sicut cera a facie ignis, ubicumque inveniunt crebram hujus Nominis recordationem, devotam invocationem, solicitam imitationem. Tu autem etc.

℟. Ornatam etc.

IN III. NOCTURNO

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. c. I.

In illo tempore. Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et Nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii Episcopi.

De Laudibus B. M. V.

Lectio VII.

Anna gravida effecta coelum, et thronum Cherubicum peperit sanctam puellam Mariam. Illa enim reperietur esse coelum, templum, et thronus: quia Mariam interpretari solemus dominam, atque etiam spem: peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursum Nomen illud Maria interpretatur myrrha maris. Myrrham vero, aliquis dicet (quod ego etiam ajo) de immortalitate, eo quod paritura esset gemmam immortalem in mari, hoc est in mundo. Mare autem dicet universum Mundum, cui Virgo serenitatem, et tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum. Tu autem etc.

℟. Foelix namque etc.

Lectio VIII.

Rursum itaque praeclarae puellae Mariae beatum Nomen interpretatur illustrata, utpote quae illustrata sit a Filio Dei, et cunctos usque ad terminos terrae Credentes Trinitati illuminaverit.

Sancta enim puella Virgo Maria est sponsa Trinitatis, et thesaurus dispensationis plane arcanus, cui Gabriel inquit, ave gratia plena, Dominus tecum. Subjunxit Gabriel: Et pater misit Arabonem de caelo Spiritum Sanctum: praeparavit Virginem Unigenito Filio caelesti Sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus Sanctus percupivit. Ipsa est enim sponsa, et thalamus, et ex ea Sponsus procedit Christus: Virgineum indumentum, juxta suavem Davidis Prophetae cantionem: In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Tu autem etc.

℟. Beatam me dicent etc.

Lectio IX.

Quid dicam, et quid proloquar? quo pacto beatam praedicabo gloriae radicem? solo enim Deo excepto, cunctis superior existit: natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, et omni exercitu Angelico: cui praedicandae coelestis, ac terrena lingua minime sufficit, imo vero nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, hono-

rem protulerunt: non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt: Laetabantur vero Angeli, tamquam ipsi dumtaxat Deum haberent: quibus sanctissima Virgo, superior nata, Deum habitantem in coelis concepit in terra, ut hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, et versaretur cum hominibus. Ipsa enim est Coeli, et terrae mediatrix, quae unionem naturaliter peregit. Tu autem etc.

Mense Martio et Aprili.

IN II. NOCTURNO

De Sermone S. Bonaventurae Episcopi.

In Spec. B. M. V. Lect. III.

Lectio IV.

Maria interpretatur Stella maris. Hoc optime convenit Mariae, quae gerit officium stellae marinae: legitur enim, et verum est, quod nautarum mos est, ut, cum in aliquam terram navigare disponunt, unum sydus eligunt, cujus signo, luce radiante, in eam, quam

desiderant, partem possunt sine errore adduci. Tale certe officium est Stellae nostrae Mariae, quae navigantes per mare mundi in navi innocentiae, vel poenitentiae dirigit ad litus coelestis patriae. Bene autem Maria stellae maris comparatur propter puritatem, propter radiositatem, et propter utilitatem. Maria enim est stella purissima, stella radiosissima, et stella utilissima. Tu autem etc.

℟. Sicut Cedrus etc.

Lectio V.

Maria est stella purissima, sine peccato purissime vivendo. Unde de ea dici potest illud Sapientiae: Est enim haec speciosior Sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur purior. Quidam legunt hic prior, quidam purior, utrumque vero stellae nostrae competit. Maria enim est prior, idest potior, sive dignior. Maria etiam purior est Sole, et stellis, et luce: quia tam dignitate, quam puritate Solem, et stellas, et omnem lucem superat corporalem, imo etiam spiritualem, idest Angelicam creaturam. De

qua dicitur ; Divisit Deus lucem a tenebris, idest Angelos stantes a cadentibus. Hac utique luce angelica prior est Maria ; prior dignitate, et purior sanctitate. Tu autem etc.

℟. Quae est ista etc.

Lectio VI.

Maria est stella radiosissima, radium aeternum emittendo, et Dei Filium pariendo. Ipsa enim est stella, de qua dicitur in Numeris : Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel. Virga ista est Dei Filius, qui stellae nostrae Mariae est radius. O vere beatissima, o vere radiosissima stella Maria, cujus radius, non solum Mundum, imo etiam Coelum, et non solum Coelum, imo etiam infernum penetravit ! Maria etiam est stella utilissima nos ad patriam coelestem dirigendo, imo ducendo nos per mare hujus saeculi ad gratiam Filii sui, tamquam ad portum Paradisi. Unde ipsa est stella illa clarissime fulgens, tres Magos ad Christum rectissime ducens, Maria certe est stella, quae in fluctibus praesentis vitae valde est necessaria. Tu autem etc.

℟. Ornatam etc.

IN III. NOCTURNO

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *c.* I.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et Nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Petri Damiani.

Serm. de Annuntiatione B. M. V.

Lectio VII.

Exultate, Fratres, in Domino, quia de Domina illa sermo succedit, quae singularem in cordibus nostris sibi vindicat principatum. Haec est, ad cujus Nomen corpus humiliter inclinatis, cujus horis reverenter assistitis, cujus memoriam jugiter frequentatis. Haec est, quae vestris affectibus suaviter indulcescit, quia magna multitudo dulcedinis ejus. Spiritus enim ejus super mel dulcis, in qua dulcis Dominus cum omni sua dulcedine supervenit. Cum enim fe-

cerit Deus omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit, consecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola, se post tumultus Angelorum, et hominum reclinaret, et requiem inveniret. Hoc est, quod natura miratur, reveretur Angelus, veretur homo, stupescit Caelum, extremit terra, infernus exhorret. Tu autem etc.

℟. Felix Namque etc.

Lectio VIII.

Quid est Beatissima? Numquid ita sensim taciturnus obdormiam, ut ibi mutus sim, ubi omnis loquitur creatura? Veruntamen non tacebo, et non quiescam, donec egrediatur, ut splendor vultus tuus, et sermo de te conceptus, si non ut lampas, saltem ut scintilla accendatur. Nascitur Maria, et ad nubiles annos egrediens, speciem induit speciosam, quae ipsum alliciat Deum, et Divinitatis oculos in se convertat. Vide quid inde dicat ille non minimus explorator secretorum Dei: Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui: Et concupivit Rex de-

corem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Germinavit igitur virga Jesse de tortuosa radice generis humani, et de Patriarcharum arbore in altitudinem, et rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, filiorum tenebras nescit, fructuosa quaeque habet. Videt, et ardet ille vehemens amator, et totum epithalamium in laudibus ejus decantat, ubi manifeste sponsus inducitur spirans amorem sincerissimum, nec ultra valens dissimulare, quod patitur. Tu autem.

℟. Beatam me dicent etc.

Lectio IX.

Evocatur statim coelestis ille conventus, et juxta Prophetam: init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum Angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis stupentibus, et mirantibus prae gaudio de modo redemptionis; et statim de thesauro divinitatis Mariae Nomen evolvitur, et per ipsam, et in ipsa, et de ipsa, et cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illo ni-

hil factum, ita sine illa nihil refectum sit. Traditur epistola Gabrieli in qua salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, modus Redemptionis, plenitudo gratiae, gloriae magnitudo, multitudo laetitiae continetur. Tu autem etc.

Mense Majo et Junio.

IN II. NOCTURNO

De Sermone S. Bonaventurae Episcopi.

In Spec. B. M. V. lect. iii.

Lectio IV.

Maria etiam interpretatur illuminata, vel illuminatrix. Hoc similiter competit tantae Virgini, quae mirabiliter illuminata est per praesentiam Domini, juxta illud Apocalypsis: Vidi Angelum alium descendentem de Coelo, habentem potestatem magnam, et terra illuminata est a gloria ejus. Filius Dei est Angelus magni consilii: Terra vero a gloria Dei illuminata, est Maria, quae sicut illuminata fuit a gratia ejus in mundo, ita nunc illuminata est a glo-

ria eius in Coelo, ut sic illuminata, fieret illuminatrix in Mundo, et in Coelo. Propter quod considerandum est, quod Maria illuminata illuminatrix est per exempla, per beneficia, et per praemia: illuminatrix per exempla vitae suae, illuminatrix per beneficia misericordiae suae, illuminatrix est Maria per praemia gloriae suae. Tu autem etc.

℟. Sicut cedrus etc.

Lectio. V.

Maria est illuminatrix plurimorum per exempla lucidissimae vitae suae. Ipsa est, cujus vita gloriosa lucem dedit saeculo. Ipsa est, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Ipsa enim est lucerna Ecclesiae, ad hoc illuminata a Deo, ut per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia. Oret ergo Ecclesia, oret fidelis anima, et dicat: Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas. Hanc vere lucernam Dominus illuminavit plenissime, et per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat, et fugavit. Tu autem etc.

℟. Quae est ista etc.

Lectio VI.

Maria est illuminatrix per beneficia lucidissimae misericordiae suae, per quam multi in nocte hujus saeculi illuminati sunt spiritualiter, sicut quandoque filii Israel per columnam ignis illuminati fuerunt corporaliter, juxta illud Psalmi: Deduxit eos in nube. Maria est nobis columna nubis, quia tamquam nubes protegit ab aestu divinae indignationis: Protegit etiam ab aestu diabolicae tentationis, sicut iterum dicitur in Psalmo: Expandi nubem in protectionem. Maria quoque columna ignis est, illuminans nos, imo illuminans mundum multis misericordiae suae beneficiis. Quid nos miseri, nos obtenebrati, quid in nocte hujus saeculi faceremus, si tam lucidam lucernam, si tam luminosam columnam non haberemus? Quid enim totus mundus valeret, si Solem non haberet.? Tu autem etc.

℟. Ornatam etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *c.* I.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et Nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani.

Serm. de Epiphania Domini.

Lectio VII.

Stella erat in terra Virgo Maria, de qua Balaam praedixit in prophetia sua: Orietur stella ex Jacob, et confringet omnes alienigenas. In stella, fratres, quatuor principaliter attenduntur. Stella enim igneae naturae est, stella in se lucida est, et clara, stella ex se radium emittit, stella in nocte lucet. Haec eadem in stella nostra, idest in Virgine Maria, possumus invenire. Stella, ut diximus, igneae naturae est; et ipsa Virgo Maria igneae naturae fuit. Ipsa est enim rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moysi, qui videbatur quippe ardere, sed non comburebatur; quia gravida quidem apparuit Virgo,

sed igne libidinis non est consumpta. Ipsa in se splendida est et clara, adeo ut de ea scriptum sit in Canticis Canticorum : Quae est ista, quae progreditur sicut Aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol. Ipsa ex se radium illum emisit, qui penetrat usque ad cordis secreta ; unde, et merito congruit ei Nominis interpretatio. Maria namque stella maris interpretatur : mare hic mundus est, sicut scriptum est : Hoc mare magnum, et spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus. Tu autem etc.

℟. Felix namque etc.

Lectio VIII.

Merito ergo stella maris dicitur, quia ipsa tamquam sydus singulare refulsit in mundo, et cujus splendor illuminat mundum, et ex se radium illum emisit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et sicut radius processit a stella, stella integra permanente ; sic filius ex Virgine, virginitate inviolabili perdurante : Stella lucet in nocte, et ipsa Virgo in nocte hujus saeculi singulariter fulsit, secun-

dum quod de ea scriptum est: Quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo. Talis est stella nostra, Fratres, talis est Virgo Maria, talis est stella maris: et quia reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, talis etiam debet esse anima nostra. Tu autem etc.

℟. Beatam me dicent etc.

Lectio IX.

Simus ergo, Fratres, igneae naturae, ut sit in nobis ille ignis, quem venit Dominus mittere in terram. Simus etiam et nos clari, et fulgidi, ut aspiret nobis dies; et inclinentur umbrae, et deponentes veterem hominem cum actibus suis, induamur novum, qui secundum Deum creatus est; emittamus etiam ex nobis radium bonae operationis, quia scriptum est: Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris. Stella lucet etiam in nocte, et nos, Fratres, in nocte hujus saeculi luceamus, secundum quod scriptum est: inter quos lucetis, quasi luminaria fixa in firmamento. Contra haereticorum tenebras sapientiae lumi-

ıe splendeamus. Sic ergo , fratres, ad
verum Solem poterimus pervenire , si
Virginis, et stellae nostrae vestigia fue-
rimus imitati. Tu autem etc.

Mense Julio et Augusto.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Bonaventurae Episcopi.

In Spec. B. M. V. lect. iii.

Lectio IV.

Maria etiam interpretatur Domina.
Ioc quoque optime competit tantae Im-
peratrici , quae revera Domina est coe-
estium , terrestrium , et infernorum,
Domina , inquam , Angelorum, Domi-
na hominum, Domina daemonum. Ma-
ria est Domina Angelorum : Ipsa enim
ignata est in Domina Esther Regina ,
le qua legitur , quod super unam fa-
nulam suam deliciose innitebatur , al-
era autem famularum sequebatur Do-
ninam , defluentia in humum vestimen-
a sustentans. Per Dominam Esther Re-
ginam, intellige Mariam Reginam. Duae

famulae, quarum Domina est Regina Maria, sunt Angelica, et humana creatura. Oh quantum gaudendum est nobis miseris hominibus, quod Angeli Dominum, et Dominam habent ex hominibus. Anima humana est famula, quae Dominam suam Mariam sequitur in Mundo. Sequitur certe colligens vestimenta Dominae, scilicet colligens virtutes, et exempla Mariae. Intelligentia vero Angelica est famula, super quam Domina sua Maria innititur in Coelo. Innititur certe tamquam familiarissima, se Angelis sociando; innititur etiam tamquam delicatissima, in Angelis deliciando; innititur quoque tamquam plenissima se cum sua plenitudine Angelis communicando; innititur insuper tamquam potentissima Angelis imperando: Omnibus enim Angelis Maria innititur suo imperio. Tu autem etc.

℟. Sicut Cedrus etc.

Lectio V.

Maria est Domina in Mundo. De hac Domina in Psalmo dicitur: Sicut oculi ancillae in manibus Dominae suae. Ancilla Dominae Mariae est quaelibet ani-

na fidelis, imo etiam Ecclesia universalis. Oculi hujus Ancillae in manibus Dominae suae semper debent esse, quia oculi Ecclesiae, oculi omnium nostrum ad manus Mariae semper debent respicere, ut per manus ejus aliquid boni accipiamus, et per manus ejus, quidquid boni agimus, Domino offeramus. Per manus enim hujus Dominae habemus, quidquid boni possidemus. Bene nobis, clarissimi, bene nobis; quod talem Dominam habemus, quae manus tam liberales habet ad nos, et tam praepotens est apud Filium super nos, ut securi ad ipsam confugere possimus omnes nos. Tu autem etc.

℟. Quae est ista etc.

Lectio VI.

Maria est Domina Daemonum in inferno, tam potenter eis dominans, ut etiam de ipsa accipi possit illud Psalmi: Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Virga virtutis Virgo Maria. Ipsa est virga Aaron florida per Virginitatem, et fructifera per foecunditatem. Ipsa quoque est virga, de qua dicitur

in Isaia: Egredietur Virga de radice Jesse. Haec virga Virgo Maria, virga virtutis est contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur: et ideo Domina tam magna, tam magnae virtutis merito a nobis amatur, merito a nobis laudatur, et merito a nobis exoratur, ut nos contra inimicos istos tueatur. Te, Domina magna, et valde magna, te vult cor meum amare, et cupit os meum laudare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuae se commendat tota substantia mea. Tu autem etc.

℟. Ornatam etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *c.* I.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episc. Cantuariensis.

Orat. xlviii. ad Beatam Virginem.
Lectio VII.

Memini, et meminisse delectabile est, qualiter, Beata Virgo, ad commendandum nobis miseris unicum patrocinium tuum, cuidam tuo servo agenti in extremis revelasti memorabile Nomen tuum: apparens enim ei, cum esset in angustiis, et requirens, utrum te agnosceret, cum ille, minime Domina, tremens responderet, tu ei pro benignitate tua quam blande quam familiariter dixisti: Ego sum misericordiae Mater. Apud quem ergo miseri, apud quem desolati rectius ingemiscimus deplorantes mala totius calamitatis, et miseriae nostrae, quam apud te veram, et indubitatam Matrem Misericordiae. Mater sancta, Mater unica, Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater misericordiae, Mater pietatis, et indulgentiae aperi sinum pietatis, et suscipe mortuum in peccatis. Tu autem etc.

℟. Felix namque etc.

Lectio VIII.

Ecce, Domina, filius prodigus, nudus, et attritus pedibus, de loco horroris, de nebula immunditiae, et faetoris, suspirat, clamat, et appellat Matrem, non immemor, quoties eum foveris, texeris, excusaveris apud Patrem. Et quidem ille piissimus atque benignissimus Pater, tu tam dulcis, et suavis Mater. Agnosce benedicta filios tuos, quos unice dilectus Unigenitus tuus non erubuit nominare fratres suos. Et si pro illo innocente Filio tuo crucifixo pertransivit gladius animam tuam: quomodo super mortuis in peccato pupillis tuis te continere, quomodo unquam maternis flectibus, et lacrymis, o Domina, poteris temporare? abstrahimur, diripimur, captivamur: non est qui eruat, non est qui redimat, qui consurgat diluculo, et spondeat pro nobis. Surge pia, surge propitia, intra Sacrarium exauditionis, et expande manus immaculatas ante Altare illud aureum humanae reconciliationis. Tu autem etc.

℟. Beatam me dicent etc.

Lectio IX.

Singularis Virgo, summa, et perpetua Virgo, sola Mater et Virgo, sancta Maria, indignus hoc unum rogo, hoc unum precor, et obsecro in nomine dilecti Filii tui: dona mihi misero jugem, et perennem memoriam suavissimi Nominis tui: sit cibus dulcissimus, cibus suavissimus animae meae. Adsit mihi in periculis, adsit in angustiis, adsit in principio laetitiae meae. Si enim hoc, Dei dono, et tuo, mereor obtinere; nullatenus certe, numquam funditus vereor interire. Aderit enim semper mihi gratia tua, aderit miseratio, et protectio tua; et si in infernum demersus fuero, eo me requires, et inde me extrahes, et reddes Filio tuo, qui me redemit, et lavit sanguine suo. Tu autem etc.

IN II. NOCTURNO.

Serm. S. Bonavent. Episc.

In Spec. B. M. V. lect. iv.

Lectio IV.

Nomen Mariae, nomen affectuosum, et dulcissimum, nomen id gratiosum, et nobilissimum, nomen id gloriosum, et dignissimum optime convenit B. Virgini Dominae nostrae, convenientissime Virgo tam pia vacata est Maria. Ipsa enim est Maria, quae et omni vitio caruit, et omni virtute claruit. Maria profundissima apud se fuit per humilitatem. Ipsa enim est Maria, de qua dicitur in Luca: Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini. Oh mira et profunda humilitas Mariae! Ecce Mariam Archangelus alloquitur, Maria gratia plena dicitur, superventio Spiritus Sancti praemittitur, Maria in matrem Domini assumitur, Maria jam omnibus creaturis anteponitur, Maria jam Domina Coeli, et Terrae efficitur, et pro his omnibus

non extollitur, sed in his omnibus mira humilitate deprimitur, dicens: Ecce Ancilla Domini. Hoc est contra multos, qui in prosperis, et honoribus, qui in gratiis, et virtutibus non humiliantur cum Maria, et cum Christo; sed intumescunt cum Eva, et Lucifero. Tu autem etc.

℟. Sicut Cedrus etc.

Lectio V.

Maria affectuosa fuit per charitatem. Ipsa enim est Maria, de qua dicitur in Luca: Exurgens autem Maria abiit in montana cum festinatione. Abiit, inquam, ut visitaret, ut salutaret, ut ministraret Elisabet. Vide quomodo illa visitatio Mariae plena fuit charitate. In descriptione enim illius visitationis Maria quater nominatur, in quo charitas Mariae ad Deum, et ad proximum plenius declaratur. Charitas proximi debet haberi, et foveri corde, ore, opere. Maria autem charitatem proximi habebat in corde, et propter hoc exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Quid enim eam ad officium chari-

tatis festinare cogebat, nisi charitas, quae in corde ejus fervebat? Legimus, quod Pastores venerunt festinantes ad Praesepium, et quod Maria abiit cum festinatione ad obsequium, et quod Zacchaeus festinans descendit ad hospitandum Dominum. Vae ergo tardis ad opera charitatis. Tu autem etc.

℟. Quae est ista etc.

Lectio VI.

Maria charitatem proximi ore fovebat. Ipsa enim est, de qua ibidem dicitur: Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit Infans in utero ejus: charitas, inquam, proximi salutationibus, et aliis charitativis locutionibus semper fovenda est. Unde Angelus salutavit Mariam: Maria salutavit Elisabeth. Oh quam dulciter Maria salutare novit? O Maria digneris nos per gratiam tuam salutare. Et certe ipsa nos libenter salutat beneficio, et consolatione, si nos eam frequenter salutamus servitio, et oratione. Item Maria charitatem opere exercebat. Ipsa enim est, de qua ibi dicitur. Mansit autem

Maria cum illa quasi mensibus tribus; Mansit videlicet pro ministerio, et consolatione Elisabeth. Item Maria sicut in omnibus charitatem habuit ad proximum, ita super omnia charitatem habuit ad Deum. Ipsa enim est, de qua ibidem dicitur: Magnificat anima mea Dominum. Anima quod amat, hoc magnificat, et in hoc exultat: idcirco anima Mariae Deum decentissime magnificavit, et in Deo firmissime exultavit, quia Deum excellentissime amavit. Tu autem etc.

℟. Ornatam etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *c. 1.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et Nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

Serm. 3. de gloriosissimo Nomine Mariae. c. 2. 3. 4.

Lectio VII.

Ad ipsum Mariae Nomen interpretandum descendere libet, secundum quod Maria Domina interpretatur: Et circa hoc consideremus dominii proprietatem, magnitudinem, et multiplicationem. Quidem Dominatio est vera, quae nulli praelationi est obnoxia. Sic, et Beata Virgo: nullius quippe creaturae praelationi obnoxia est. Quomodo enim subiiceretur creaturae, quae Mater effecta est Creatoris? Imo Mater Domini omnis creaturae effecta est Domina omnis creaturae. Igitur, quia genuit Creatorem, Domina facta est omnis creaturae. Proindeque in persona Mariae dicitur: In omni gente, et populo primatum habui. Imo, si fas est dicere, non tantum facta Domina omnis creaturae, verum etiam ipsius Creatoris: sicut scriptum est: Et erat subditus illis. Vere igitur Beata Virgo Domina est. Tu autem etc.

℟. Felix namque etc.

Lectio VIII.

Maxime dominatur amicis, idest spiritualibus, et devotis; et in hoc est pulchra ut Luna, quia dispensat eis divinae Sapientiae lucem, et coelestis gratiae rorem. Dominatur filiis, idest Angelis. Et in hoc est electa ut Sol, scilicet ad irradiandam totam multitudinem Spirituum beatorum. Cum autem Beata Virgo Regina sit Coeli, et Mater Filii Dei, tantum habet Servorum numerum, quot Filii sui implent mysterium. Omnes igitur Angelici Spiritus sunt hujus gloriosae Virginis Ministri, atque Servi. Quomodo ergo non essent Servi illius, per quam eorum, quantum ad numeri integritatem, reparatio facta est? Per cuius Filium eorumdem facta est purgatio, illuminatio, et consumatio, id est gloriae consumatae perfectio? Verè igitur Domina dici potest, atque meritò habent de illa omnes coelestes Spiritus confiteri: Servi tui sumus, quaeque iusseris faciemus. Tu autem. etc.

℟. Beatam me dicent etc.

Lectio IX.

Oremus igitur, dilectissimi fratres, Dominam nostram Virginem benedictam, ut quae Mater esse meruit iudicis saeculorum, pro realibus nostris Filio satisfaciat advocata. Quid enim in causa potest esse periculi, ubi causas hominum illa peroratur, quae habet unde apud Deum pro filiis hominum orare praesumatur, quia Mater est Dei? Habet et ille, unde clementer homini ignoscat, quia Filius hominis est. Ambo certatim causas miserentur humanas. Mater excusando mortales, ne pereant: Filius ignoscendo peccantibus, ut resurgant: Omnes igitur Genitrici ejus devotissimè supplicantes, vitam nostram emendemus, et mores; communi voto, pari desiderio, ardenti affectu postulantes, ut Ecclesiam suam exaltet, ministerium nostrum acceptet, Patriam tueatur, protegat Civitatem, Fideles multiplicet, abigat hostes, domesticos foveat, et omnes, qui triumphale Nome Iesu, et Matris ejus Mariae invocant, et adorant, dirigat semper, et conservet in Christo, qui cum Patre, et Spiritu San-

cto vivit, et regnat in saecula saeculorum; Amen. Tu autem etc.

Mense Novembri et Decembri.

IN II. NOCTURNO.

De Serm. S. Bonavent. Ep.

In Spec. B. M. V. lect. iiii.

Lectio IV.

Maria indefessissima, et studiosissima fuit per sedulitatem in bonis operibus: ipsa namque est Maria illa, de qua dicitur in actis: Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Jesu. Maria indefesse perseverando in oratione exemplum dedit, quam oportet sequi, et non deficere. Et si Maria tam sedulè oravit in terris, quomodo non sedulè orabit pro nobis in Coelis? sed ecce Maria nostra non solum ore in orationibus, sed etiam corde in sanctis meditationibus indefessa fuit, et sedula. Ipsa enim est Maria, de qua dicitur in Evangelio Lu-

cae: Maria conservabat omnia verba haec conferens in corde suo. Quia ergo Maria non fuit acediosa, ideo non fuit ociosa; et ideo non solum mentem in sanctis meditationibus, non solum linguam in devotis orationibus, sed etiam manus in bonis operibus sedulas habuit. Heu quàm longè a gratia Mariae est miser acediosus, cujus mens, manus, et lingua sunt toties à meritis otiosae. Tu autem etc.

℟. Sicut Cedrus etc.

Lectio V.

Maria tenuissima fuit per paupertatem: ipsa enim est, de qua dicitur: invenerunt Mariam et Joseph, et Infantem positum in praesepio. Pastores pauperes invenerunt pauperem Mariam Matrem, et pauperem Infantem in paupere loco, non in pomposa curia, sed in paupere praesepio; quae utique paupercula Mater bonum hospitium habuisset, si pauper non fuisset. Ista dum diligenter attendis, tunc paupertatem Mariae evidenter perpendis. Quicumque certè propter Deum pauper est voluntariè, et

libenter, vel etiam quicumque pauper est necessarie, et patienter, multum consolari potest de paupertate Mariae, et de paupere Christo: ab illa consolatione iniqui divites longè sunt, qui longè aliam quaerunt; unde Salvator dicit: Veh vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Tu autem etc.

℟. Quae est ista.

Lectio VI.

Maria tandem castissima fuit per virginitatem; casta enim fuit in virginea carne, sicut Evangelium testatur, dicens: Nomen Virginis Maria. Castior fuit Maria in virginea mente, sicut ipsamet testatur: ipsa enim est, de qua dicitur: Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? idest non cognoscere propono. Castissima verò fuit Maria in virginea prole: nam in prole approbata, in prole consecrata, in prole nobilitata, in prole ditata, et dotata, consignata, et confirmata est tua Virginitas, o Maria. Heu quàm longè à gratia Mariae

sunt quicumque continentes non sunt, qui castitatis inimici sunt. Cùm ergo dulcissimum Nomen Mariae tantae, ut supra dictum est, sit gratiae, ideo merito hoc Nomen invocamus, secundùm quod Beatus Bernardus orans, ait: dulcissimum Mariae Nomen invocantibus Servulis per te, Regina clemens, gratiae suae munera largiatur Jesus Christus filius tuus, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. Tu autem etc.

℟. Ornatam etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. c. I.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileae, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de Domo David, et nomen Virginis Maria, et reliqua.

De Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homilia 2. super missus est, circa finem.

Lectio VII.

Et nomen, inquit, Virginis Maria. Loquamur pauca et super hoc nomine, quod interpretatum Maris Stella dicitur, et Matri Virgini valdè convenienter aptatur. Ipsa namque aptissimé syderi comparatur, quia, sicut sinè sui corruptione sydus suum emittit radium, sic absque sui laesione virgo parturivit filium. Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam integritatem: Ipsa est igitur nobilis illa Stella ex Iacob orta cujus radius universum Orbem illuminat, cujus splendor, et praefulget in supernis, et inferos penetrat, terras etiam perlustrans: et calefaciens magis mentes, quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est praeclara, et eximia Stella super hoc mare magnum, et spatiosum, necessarió sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. Tu autem etc.

℟. Felix namque etc.

Lectio VIII.

O quisquis te intelligis in hujus saeculi profluvio, magis inter procellas, et tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare; ne avertas oculos à fulgore hujus syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam. Si jacteris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis; respice Stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis; respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiae faeditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso; cogita Mariam. Tu autem etc.

℟. Beatam etc.

Lectio IX.

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a cor-

de, et, ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, pervenis; et sic in temetipso experiris, quam meritò dictum sit: et Nomen Virginis Maria. Tu autem etc.

LAUS DEO.

—

QUESITO I.

D. Seguendo il rito, l'ufficio del nome di Maria deve sempre dirsi prima di quello del S. Padre, ancorchè venga in quella Settimana S. Maria in sabato?

R. Affirmative: deve farsi sempre il nome di Maria del semel in mense, e dopo nel Sabato farsi anche la seconda volta.

II.

D. Essendovi i due privilegi di potersi recitare l'Ufficio del nome di Maria semel in mense, et semel in Hebdomada, occorrendo in una settimana due ferie, si possono dire due Uffici del S. Nome di Maria?

R'. Affirmative; cioè uno pel mese, e l'altro nel Sabato, e non già in altro giorno, essendo accordato il privilegio del semel in hebdomada nel solo Sabato.

III.

D. Se in un Giovedì concorre l'Uffi-

cio del Sacramento con quello del nome di Maria, qual conviene fare?

R. L'ufficio del Sacramento deve farsi nel Giovedì, non tanto pel rito, quanto per essere dalla Chiesa assegnato ogni Giovedì non impedito al Sacramento.

IV.

D. Se concorre l'Ufficio di S. Gennaro semel in mense con quello del S. Padre, qual si deve fare?

R. Deve recitarsi il secondo, cioè quello del S. Padre.

V.

D. Col Decreto di dir l'Ufficio del SS. Nome di Maria, e del nostro S. Fondatore una volta nella Settimana è stato annullato quello di una volta al mese?

℟. Negative; perchè nella nuova concessione non si parla di rivocare il primo decreto di una volta al mese.

OFFICIUM

SANCTI IOSEPHI CALASANCTII

CONFESSORIS

PRO CLERICIS REGUL. PAUP. MATRIS DEI
SCHOLARUM PIARUM

IN EIUSDEM FESTO ET OCTAVA.

ET SEMEL IN MENSE

NEAPOLI
EX TIPOGRAPHIA ANDREÆ FESTA
In Via Carbonaria n. 101

MDCCCLV

DIE XXVII AUGUSTI

IN FESTO
SANCTI JOSEPHI CALASANCTII
CONFESSORIS

DUPLEX PRIMAE CLASSIS CUM OCTAVA.

Officium et Missa ut in Breviario et Missali, exceptis iis, quae hic propria adnotantur.

Ad Vesp. omnia de Com. Conf. non Pont. absq. ulla commemorat. nisi venerit in Dominica, praeter sequentia.

Hymnus.

Sacram venite supplices
Josephi ad aram, parvuli,
Quos ille primos advocat,
Primoque amore diligit.
Venite, castae Virgines,
Quarum pericla depulit;

Omnisque turba pauperum
Verbo refecta; et pabulo.
Venite quotquot faucibus
Mortis benignus abstulit,
Unaque Joseph debitum
Hymni tributum solvite.
Quod caritatis ignibus
Medulla cordis arserit;
Quod castitatis lilium
Non foeda sordes laeserit.
Laudate robur pectoris,
Quo mille firmus pertulit,
Saevi furoris victima,
Hostilis arcus spicula.
Foecunda linguae munera,
Corpus flagellis saucium,
Fractum fame et laboribus,
Cantate laudis cantico.
Deo Patri cum Filio,
Tibique, Sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Saeclum per omne gloria. Amen.

Antiph. ad Magnificat.

Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium est enim regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui per Sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiae, ac pietatis juventutem, novum Ecclesiae tuae subsidium providere dignatus es, praesta quaesumus, nos ejus exemplo, et intercessione ita facere, et docere, ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum nostrum etc.

AD MATUTINUM

Hymnus.

More lux festo celebranda fulget :
Templa Josepho renovent honores :
Concinat laudes chorus omnis : auras
 Thura vaporent.
Diva crescentem teneris ab annis
Caritas fovit,* superoque pectus
Igne collustrans, docilem per alta
 Duxit alumnum.
Sensa montanae truculenta plebis
Voce mulcentem stupuit Pyrene ;
Dira Josepho posuit tonante
 Barcinon arma.
Ira nec Tibris, neque pestis atra

Prodigum vitae facies retardat :
Pervolat passim , miserisque dextram
Tendit amicam.
Quin et inferni rabiem tyranni
Sprevit invictus patienter heros,
Et sibi clarum peperit secundi
Nomen Iobi.
Donec aeternum recolatur aevum,
Sint tibi plausus , tibi sint honores ,
Cuncta qui nutu moderaris aequo
Trinus et unus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Ecclesiastici.

Lectio I. Cap. 31.

Beatus vir, qui inventus est sine macula , et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic , et laudabimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo , et perfectus est, erit illi gloria aeterna : qui potuit transgredi , et non est transgressus : facere mala , et non fecit : ideo stabilita sunt bona illius in Domino , et eleemosynas illius enarra-

bit omnis Ecclesia Sanctorum.

℟. Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: * Intra in gaudium Domini tui.

℣. Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Intra in.

Lectio II. Cap. 32 et 33.

Qui timet Dominum, excipiet doctrinam eius: et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui quaerit legem, replebitur ab ea: et qui insidiose agit, scandalizabitur in ea. Qui timent Dominum, invenient iudicium iustum, et iustitias quasi lumen accendent. Qui credit Deo, attendit mandatis: et qui confidit in illo, non minorabitur. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. Sapiens non odit mandata et iustitias, et non illidetur quasi in procella navis. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis.

℟. Justus germinabit sicut lilium: * Et florebit in aeternum ante Dominum.
℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit.

Lectio III. Cap. 34. b.

Spiritus timentium Deum quaeritur, et in respectu illius benedicetur. Spes enim illorum in salvantem illos, et oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit: quoniam ipse est spes eius. Timentis Dominum beata est anima eius. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiae, firmamentum virtutis, tegimen ardoris; et umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, et adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem.

℟. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum; * Et inventus est in numero sanctorum.

℣. Iste est qui contempsit vitam mun-

di, et pervenit ad caelestia regna. Et inventus.

Gloria Patri. Et inventus.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Josephus Calasanctius a Matre Dei Petraltae in Aragonia nobili genere natus, a teneris annis, futurae in pueros caritatis, et eorum institutionis indicia praebuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in mysteriis Fidei, et sacris precibus erudiebat. Humanis, divinisque litteris egregie doctus, cum studiis theologicis Valentiae operam daret, nobilis potentisque foeminae illecebris fortiter superatis, virginitatem, quam Deo voverat, inoffensam insigni victoria servavit. Sacerdos ex voto factus, a compluribus Episcopis in Castellae Novae, Aragoniae, et Catalauniae regnis in partem laboris adscitus, expectationem omnium vicit, pravis ubique moribus emendatis; Ecclesiastica disciplina restituta, inimicitiis, cruentisque fa-

ctionibus mirifice extinctis. At coelesti visione, et Dei voce frequenter admonitus, Romam profectus est.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

In urbe, summa vitae asperitate, vigiliis, et ieiuniis corpus affligens, in orationibus, et coelestium rerum contemplatione dies noctesque versabatur, septem eiusdem Urbis Ecclesias singulis fere noctibus obire solitus; quem inde morem complures annos servavit. Dato piis Sodalitatibus nomine, mirum, quanto ardore pauperes, infirmos potissimum, aut carceribus detentos, eleemosynis, omnique pietatis officio sublevaret. Lue Urbem depopulante, una cum S. Camillo, tanto fuit actus impetu caritatis, ut praeter subsidia aegrotis pauperibus large collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis hume-

ris tumulanda transferret. Verum cum divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiae, ac pietatis spiritu adolescentulos, praecipue pauperes, destinari, Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem, ex proprio Instituto, profiterentur: ipsumque Ordinem a Clemente VIII, Paulo V, aliisque Summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europae provincias, et regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpessus est, ac tot aerumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce, miraculum fortitudinis, et S. Jobi exemplum diceretur.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

Quamvis Ordini universo praeesset, totisque viribus ad animarum salutem

incumberet, nunquam tamen intermisit pueros, praesertim pauperiores, erudire, quorum scholas verrere, eosque domum comitari consuevit. In eo summae patientiae, et humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos et quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea, quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, et cui Beatissima Virgo cum puero Iesu, illis orantibus benedicente, appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetia, abdita cordium, et absentia cognoscendi donis, et miraculis clarus, Deiparae Virginis, quam singulari pietate et ipse ab infantia coluit, et suis maxime commendavit, aliorumque Coelitum frequenti apparitione dignatus, cum obitus sui diem, et Ordinis tunc prope eversi restitutionem, atque incrementum praenunciasset, secundum et nonagesimum annum agens, Romae obdormivit in Domino, octavo Kal. Septembris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Eius cor, et lingua post saeculum integra et incorrupta reperta sunt. Ipse vero multis post obitum quoque signis a Deo illustratus,

primum a Benedicto XIV Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde a Clemente XIII Pontifice Maximo inter Sanctos solemniter est relatus.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi iustum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes: quis putas, maior est in regno Coelorum? Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

In Cap. 18. Matth. Hom. 60.

Videte, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, et quia ego propter eos veni, et haec Patris mei voluntas est. Ad tuendos; conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicis quam ingentia in tutelam tenuium moenia crexerit, et quantum studium, curamque habeat, ne perdantur, tum quia supremas decipientibus eos poenas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his, qui curam eorum suscipiunt; idque tam suo, quam Patris exemplo corroborat.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.

Lectio VIII.

Dominum igitur etiam nos imitemur, et nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum, quae humilia, viliaque nimium videntur. Sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamvis tenuis, atque abiectus quidem, cui administrandum sit, fuerit, quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur, omnia haec pro fratris salute tolerabiliora, facilioraque, oro, videantur. Tanto enim studio, tantaque cura Deus dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo pepercerit.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos.

Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Si non est nobis satis ad salutem, quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem re ipsa desiderare; cum neque nos recte vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus? quae nobis spes salutis reliqua erit? Quid majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, caeterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuvenum animos fingere non ignoret.
Te Deum.

AD LAUDES

Hymnus.

Plebis ignarae procul ite questus:
Ecce doctrinae iubar appropinquat:
Ecce Iosephum Pietas Iberis
Evocat oris.
Ille desertum miserans popellum,
Parvulis aptam reserat palestram,
Formet ut mentes, iter ac beatas
Sternat ad arces.

Rite sub tanto faciem Magistro
Vulgus immutat; novus ordo pagos
Expolit cunctos: placidis renident
Moribus urbes.
Orbis exultat, meritoque plaudit
Gratus Auctori: probat ipsa Virgo
Lapsa de caelo, beat ac benigno
Lumine pubem.
Donec aeternum recolatur aevum,
Sint tibi plausus, tibi sint honores,
Cuncta qui nutu moderaris aequo
Trinus et Unus. Amen.

Ad Benedictus

Antiphona. Tanquam prodigium factus sum multis, et tu adiutor fortis.

Missa propr. cum Gloria, et Credo, *et Praef. Com. et sic per tot. Oct. In secundis Vesperis Hymnus ut in primis.*

Antiphona ad Magnificat. Spiritus Domini super me: evangelizare pauperibus misit me.

Commemorat. sequentis.

DIE XXVIII. AUGUSTI

S. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doct. ut in Breviario ; Com. Octavae, et S. Hermetis , in Laudibus , et Mis. Vesp. de seq. com. S. August., Octavae , et S. Sabinae M.

DIE XXIX AUGUSTI

Decollatio S. Io. Bapt. ut in Breviario : Com. Octavae , et S. Sab. in Laud. et Missa. In Vesp. Comm. S. Rosae Virg., Octavae, et SS. Felicis , et Soc. Mart.

DIE XXX. AUGUSTI

S. Rosae Limanae, ut in Breviario; Comm. Oct. et Ss. Mm. in Laud. et Missa. In Vesperis a cap. de sequenti ; cum com. S. Rosae , et Octavae.

DIE XXXI. AUGUSTI.

S. Raymundi Nonnati : ut in Breviario. Com. Octavae in Laudibus , et

Missa. In Vesp. com. Octavae, S. Ægidii, et Ss. XII. Fratrum Mm.

DIE I. SEPTEMBRIS

De sexta die infr. oct. S. Joseph. Lectiones, ut in Mense Martio, et Aprili, praeter 9. lect. quae erit de S. Ægidio.

Lectio IX.

Ægidius Atheniensis, regiae stirpis, a prima aetate divinis litteris et charitatis officiis ita deditus fuit, ut nihil praeterea curare videretur. Itaque parentibus mortuis, totum patrimonium in pauperes erogavit: quin etiam tunicam exuit, ut aegrotum egentem tegeret, qua ille indutus statim convaluit. Sed multis deinceps clarior miraculis timens sui nominis celebritatem, Arelatem ad beatum Caesarium contendit: a quo post biennium discedens, secessit in eremum: ubi diutius herbarum radicibus, et cervae lacte, quae statis ad eum horis veniebat, admirabili sanctitate vixit. Quae cerva, insequentibus quodam die canibus regiis, cum in an-

trum Ægidii refugisset, Galliae regem impulit, ut ab eo summis precibus peteret, ut in loco speluncae monasterium extrui pateretur. Cuius administrationem, flagitante rege, invitus suscepit: eoque munere aliquot annis prudenter pieque gesto, migravit in coelum. Tu autem etc. Te Deum.

In Laud. com. S. Æg. Ant.

Similabo eum Viro sapienti qui aedificavit Domum suam supra petram.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stolam Gloriae induit eum.

Oratio.

Intercessio nos, quaesumus Domine, Beati Ægidii Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur.

Pro SS. XXII. Fratr. Mm.

Ant. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere, multis passeribus meliores estis vos.

℣. Exultabunt Sancti in Gloria.
℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

Fraterna nos, Domine, Martyrum tuorum corona laetificet, quae et fidei nostrae praebeat incrementa Virtutum, et multiplici nos suffragio consoletur. Per Dominum etc.

In Miss. 2. Orat. S. Ægid. 3. Ss. Mm. In Vesp. a cap. de seq. com. Octavae.

DIE II. SEPTEMBRIS

S. Stephani Reg. Hung. Conf. ; ut in Breviario Com. Oct. in Laud. et Mis. 3. or. Concede. *Vesp. de seq. com. S. Steph.*

DIE III. SEPTEMBRIS.

Octava S. Iosephi Calasanctii. Duplex. De ea, ut in Festo. Lectiones, ut in Mense Maio, et Iunio. In 2. Vesp. a cap. de S. Rosa. com. oct.

IN COMMEMORATIONE

S. IOSEPHI CALASANCTII

CONFESSORIS

SEMIDUPLEX

Lectiones pro singulis Mensibus per Annum.

MENSE IANUARIO, ET FEBRUARIO

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. et III. Nocturno; ut in die festo.

MENSE MARTIO, ET APRILI.

Et prima die infra Octavam non impedita.

In I. Nocturno de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Ex Bulla Canonizationis.

Lectio IV.

Servus Dei Iosephus iam inde a teneris annis suavitate morum, lenitate, patientia, precandi studio, cultu Deiparae singulari, qualis futurus esset haud obscure indicavit. Grandiuscula mox aetate Pueros munusculis ad sese alliciens, avocare a vitiis, ad virtutem impellere, ad Dei cultum hortari solebat; ut proinde Sancti apud omnes nomen, et famam adeptus, instituendo ab se Ordini proludere quodammodo videretur. Humaniorum Artium doctrina satis jam excultus ad praestantiores Iuri sprudentiae, ac Theologiae facultates animum appulit, atque in iis quidem nulli secundus: innocentia vero, castimonia, integritate morum supra caeteros eminebat. Quod enim tempus plerique adolescentium ludis atque otio, religionis ille, ac pietatis officiis impertiebat. Tu autem etc.

Honestum fecit illum etc.

Lectio V.

Solitudinis studiosus continebat se domi, nisi vel ad templum pietas (quod frequens erat) vel necessitudo, studiorumque communio ad aequalium quandoque consuetudinem, et colloquium vocaret. Neque vero in illo aut modestiae comitas, aut comitati modestia officiebat. Largissima erat in eo erga inopes, atque egenos misericordia. Ardor animi erga res divinas, praesertim cum ad sacra Mysteria accederet, ita ex vultu ipso atque ore emicabat, ut in admirationem sui oculos intuentium raperet. Pudor autem prorsus in eo singularis, ut vel in tenera adhuc aetate, morbo licet urgente, nemini umquam, ne Matri quidem, corpusculi ipsius partem ullam adspicere nudam licuerit. Tu autem etc.

℟. Amavit eum Dominus etc.

Lectio VI.

Ilerdae non alia utique, quam eximiae suae commendatione virtutis, cunctis, quum Magistrorum, tum Condiscipulo-

rum suffragiis universae studiosae iuventuti praefectus, ac princeps renunciatus, eiusmodi honore ac munere sic functus est, ut qua voce, qua exemplo segnes ad studia, dissidentes ad concordiam, improbos ad virtutem adhortaretur. Et quidem industriae suae fructum tulit, quem maxime optarat. Alia enim iam facies extitit iuventutis in Scholis, in Templis, in Nosocomiis, ut propterea qui tam praeclare meritum de Scholis Iosephum susciperent, eumdem veluti delapsum e Coelo Angelum venerarentur.

Tu autem etc.

℟. Iste Homo etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. C. 18.

In illo tempore accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas, maior est in Regno Coelorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Ioannis Chrysostomi.

In Cap. 18. Matth. Hom. 59.

Curiose, inquit, scrutamini vos quis vestrum major sit, et de primatus honore contenditis. Ego autem si quis humiliorem se caeteris non effecerit, ipso ingressu coelesti omnino indignum assero. Recte autem ante oculos monstratione parvuli totam rem posuit, ipso aspectu eos convertens, ac persuadens, ut absque simulatione aliqua humilitatem amplectantur.

Tu autem etc.

℟. Iste est etc.

Lectio VIII.

Parvuli autem non invidere, nec inanem expectare gloriam, nec primatus desiderare dignitatem noverunt, sed maxime hanc virtutem possident, puram dico simplicitatem, et humilitatem. Non ergo fortitudine tantum, ac prudentia, sed humiliatis quoque virtute, et simplicitate nobis opus est: quae si non adest, salus nostra certe claudicat. Tu autem etc.

℟. Sint lumbi vestri etc.

Lectio IX.

Parvuli etiam nec si contumelientur, aut verberentur, afficiuntur odio, nec si laudantur, et honorantur, ulla commoventur, arrogantia. Vides quomodo rursus ad praeclara naturae opera nos provocat, ut ostendat posse nos voluntatem istam nancisci, et perniciosam Manichaeorum rabiem acuto concidit gladio. Si enim natura per se mala est, cuius gratia philosophandi exempla inde trahit?

Tu autem etc.

MENSE MAIO, ET IUNIO

Et secunda die non impedita.

In primo Nocturno de scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ex Bulla Canonizationis.

Lectio IV.

Coram Iosepho nemo erat, qui impudenter dicere aliquid vel indecore facere auderet. Tam spectatam virtutem ac praesertim animi castimoniam teterrimus humani generis hostis ferre non poterat. Itaque ad eam labefactandam usus est impudentia nobilis cuiusdam foeminae. Sed castissimus Iuvenis blandientis illecebras tanta animi exhorrescentis constantia elusit, ac respuit, ut non satis haberet, quod e domo illa tamquam ex infami scopulo sese proripuisset; nisi etiam ex urbe ipsa, uti praestitit, alio demigraret. Tu autem etc.

℟. Honestum fecit illum etc.

Lectio V.

Peracto studiorum curriculo, laurea donatus, tametsi nondum Sacris maioribus initiatus, ab Episcopo Iaccae Socius laborum adscitus est, non sine ma-

gna Dioecesis utilitate. Iam vero mortuo Fratre sine liberis, a Parente in spem Familiae destinatus ad nuptias, morbo interveniente periculoso, atque ancipiti, ab iis sese expedivit. Quum enim ad mortem decumberet, facile a Parente Iosephus obtinuit, ut si convalesceret, caelibem agere vitam liceret. Itaque praeter omnem opinionem recuperata valetudine, Sacrorum Ordinum susceptione totum se Deo mancipavit. Neque vero diu sibi uni vacavit. Cognita enim illius pietas, sapientia, integritas fecit, ut a pluribus Episcopis in Pastoralis sollicitudinis partem advocaretur. Quibus ille quidem non mediocri laborum fructu operam egregie navavit. Tu autem etc.

℟. Amavit eum etc.

Lectio. VI.

Barcinonem Regia missus authoritate, scissam in factiones duas Civitatem, atque in mutuas mox caedes foedissime ruituram (quod optare magis, quam sperare Cives possent) ad concordiam, et pacem consilio, et fusis ad Deum precibus revocavit. Charitatis hoc, et

prudentiae; illud animi demissionis fuit, quod ut paratos sibi honores defugeret, oculis, atque adspectui plaudentium sibi Civium sese subducens, Urgellam statim reversus est; à qua tamen majus quoddam humilitati suae instare ab Rege periculum suspicatus, ob rem tantam iam pervulgatam, haud ita multo post proficiscens, aetatis suae anno secundo supra trigesimum Romam, quo divinitus vocabatur, se contulit.

Tu autem etc.

℟. Iste homo etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas, major est in Regno Coelorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Ioannis Chrysostomi.

In Cap. 18. Matth. Hom. 59.

Parvulum aetate, et quidem mea sententia valde parvulum, qui ab omnibus

esset passionibus liber in medio statuit. Illa enim aetas omni arrogantia, omni gloriae inanis furore, omni livoris insania, omni contentionis cupiditate, caeterisque huiusmodi affectibus immunis est. Cumque praecipuis muniatur virtutibus, simplicitatis scilicet, ac humilitatis, de nulla istarum superbit, ita duplici philosophia ornatur. Nam et haec bona possidet, et nihil sibi propter haec arrogat; his de causis in medio parvulum statuit. Tu autem etc.

℟. Iste est etc.

Lectio VIII.

Nec sermonis hic finem fecit, sed ulterius admonitionem producit, dicens: Et quicumque susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Non enim solum, inquit, magna erit merces vestra, si tales efficiemini, verum etiam si alios tales propter me honorabitis: propter vestrum erga illos honorem regnum vobis retribuetur, quodque omnium extremum est, me ipsum suscipietis. Ita vehementer humilitate, et moribus, qui procul ab omni simulatione absint, afficior.

Tu autem etc.
℟. Sint lumbi vestri etc.

Lectio IX.

Parvulos quidem hic simplices homines, quos multi spernunt, appellavit: hunc autem sermonem non praemiis solum in animum penetrare facit; verum etiam terrore poenarum corroborat. Nam quemadmodum qui hos parvulos propter me honorant, coelum possidebunt, inquit, imo vero coelo quoque ipso majus aliquid, atque praestantius: sic, et qui despiciunt, atque vituperant, maximo plectenter supplicio. Vides quomodo radicitus arrogantiae tumorem evulsit? quomodo vanae gloriae ulcus curavit? Tu autem etc. Te Deum etc.

MENSE IULIO, ET AUGUSTO

Et tertia die non impedita.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Ex Bulla Canonizationis.

Lectio IV.

Vitam in Urbe Iosephus absconditam cogitabat; sed a Cardinali Columna, qui praestantiam illius ab Episcopo Urgellensi cognoverat, in Aulam suam adscitus est, ut sibi Theologus a studiis ac Fratris Filio praeterea, optimae spei adolescentulo, morum magister esset. Verum non is erat Iosephus, qui Aulae honoribus caperetur, cum non semel dignitates amplissimas repudiaverit. Illud enim sibi proposuerat jamdudum, ut Deo maxime, et proximorum saluti inserviret. Itaque ut ampla laborum, et meritorum seges suppeteret, quinque se celeberrimis Romae Sodalitatibus adscribi voluit, quarum sanctissimas leges sedulo, ac naviter observavit. Tu autem etc.

℟. Honestam fecit illum etc.

Lectio V.

Grassante per Urbem lue, hic enim vero, si umquam antea, quid Christiana charitas possit maxime ostendit. Nullum enim ab eo erga aegros, et pauperes officium defuit. Qua quidem in re misericordiae, atque humilitatis assidua erat exercitatio. Talis namque ac tantus Vir; onustum cibariis ac pharmacis asellum per vias agere, et cum Sancto Camillo de Lellis ad egentium, atque aegrotantium domos deferre nequaquam erubescebat. Neque vero cum iuvandis proximis tantum temporis impertiret; Spatium illi deerat ad ea, quae cultus Dei sunt, obeunda. Etenim ut praeter caetera Religionis officia, septem Urbis Ecclesias, quod a multis iam annis solemne habebat, inviseret, e nocturna quiete partem sibi maximam detrahebat.

Tu autem etc.

℟. Amavit eum etc.

Lectio VI.

Sed majus profecto aliquid, quod non ad Urbem modo, sed ad christianam Rempublicam pertineret, Josephus aggressus est. Quum enim Vir aeternae proximorum salutis maxime studiosus videret pueros, praesertim infimae sortis, necessaria instructione carere; qua ex re cum inscitia passim vitia inolescerent, primo quidem sumptu suo Magistros quaesivit, qui pueros, praeeunte ipso, ac pauperrimos sibi deposcente, primis litterarum, ac christianae doctrinae elementis imbuerent. Sed cum id ad tempus dumtaxat, et paucis profuturum intelligeret, novum quoddam Institutum meditatus est, cujus opera assidua illa charitatis in edocendis adolescentibus exercitatio perpetua maneret.

Tu autem etc.

℟. Iste homo etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 18

In illo tempore accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas, major est in Regno Coelorum? Et Reliqua.

Homilia Sancti Ioannis Crysostomi.

In cap. 18. Matth. Hom. 60.

Parvulos hic non vere parvulos, sed multorum aestimatione appellavit: pauperes, dico, ignotos, caeterosque huiusmodi, quos multi contemnere solent qui nec revera parvuli sunt, cum toti mundo sint aequiparabiles, et Creatori omnium amici, sed multorum aestimatione tales esse putantur. Illos venerabiles facit, dicens: quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in Coelis. Nihil aliud designatur, cum faciem dicat Patris mei aspiciunt, quam summa fiducia eorum, et honor praecipuus. Tu autem etc.

℟. Iste est etc.

Lectio VIII.

Perpendis quot, quibusque rationibus ad curam tenuiorum nos inducit. Noli

Noli ergo dicere ferrarium esse aliquem fabrum, aut sutorem, aut agricolam, ac ideo quasi rudem esse contemnendum. Vide quanta sibi cura sit, ne hoc patiaris; vide quot te argumentis ad modestiam, et ad curam minorum revocat: Infantem in medio statuit, et dixit: efficiamini ut parvuli, et quicumque talem susceperit parvulum, me suscipiet.

Tu autem etc.

℟. Sint lumbi etc.

Lectio IX.

Si Deus mirum in modum invento parvulo gaudet, qua tu audes ratione eos contemnere, atque conculcare, qui Deo charissimi sunt; cum oporteat animam quoque ipsam pro uno istorum tradere pusillorum? Ita inquies, sed abiectus et tenuis est. Hac quidem ratione multo diligentius tibi omnia facienda sunt, ut eum conserves. Nihil sane ita charitati repugnat, sicut superbia, et mentis elatio. Ne igitur talium animos negligamus. Tu autem etc.

MENSE SEPTEMBRI, ET OCTOBRI,

Et quarta die non impedita.
In primo Nocturno, de scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ex Bulla Canonizationis.

Lectio IV.

Quam multas quamque acerbas ob suum Institutum a domesticis ipsis, nedum ab aliis injurias calumniasque pertulerit Iosephus, haud facile dictu est. Illud sit instar omnium, quod felicis recordationis Benedictus XIV, ut perhibent, aspera quaeque atque indigna, quae Servo Dei ad extremam usque aetatem subeunda fuerunt, animo reputans, Iosephum Iobum alterum appellare non dubitavit. Illud utique dolendum maxime, atque acerbum accidit, quod Vineam a se tanto labore, ac studio plantatam, quaeque palmites suos longe, lateque extenderat, dissipatam iam,

atque a singulari Fero pene exterminatam conspexit.

Tu autem etc.

℟. Honestum fecit etc.

Lectio V.

Attamen in his rerum asperitatibus ne vestigium quidem de gradu constantiae deiectus, ostendit, quam vere dictum sit: Iustum non contristare quidquid acciderit. Contumeliis enim, et conviciis lacessitus impudentissimis ita se gerebat, ut iis delectari videretur; obtrectatoribus suis, quos coercere facile potuisset, non aliam rependit vicem, quam quae a Christo praescripta est, ut bene scilicet precaretur iis, a quibus injuriam acceperat.

Tu autem etc.

℟. Amavit eum Dominus etc.

Lectio VI.

Sed et Deus ipsi tam admirabili patientiae coelestem aliquam vel in terris mercedem rependit. Deiparam enim cum Puero Iesu videre meruit, sibi, et commissis disciplinae suae adolescentibus

benedicentem. Illius modo vultus inter orandum, modo corpus totum, dum sacris operatur, coelesti lumine circumfusum, atque e terra sublime conspectum est. Illum in cubiculo preces fundentem Beatissima Virgo adspectu, alloquioque suo recreavit. Dono praeterea prophetiae non caruit, qua vel futura praediceret, vel arcana cordium penetraret. Absentibus invocatus praesto erat. Eius item contactus aegrotantibus salutaris erat, praesentia Daemonibus formidolosa.

Tu autem.

℟. Iste homo etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas, maior est in Regno Coelorum? Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chrysòstomi.

In Cap. 18. Matth.

Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. Quinam hi sunt pusilli, quos minime contemnendos denunciat? Pauperes nimirum, atque ignoti, qui nec vel esse a plerisque putantur. Non enim de iis, qui vere parvuli sunt aetate, verba facit. Quemadmodum enim noxios scelestosque vitare optimum est, ita profecto suaves, atque modestos, hospitesque, ac pauperes honorare lucrum est maximum.

Tu autem etc.

℟. Iste est etc.

Lectio VIII.

Opus est intueri quot nos, ut modesti simus, nosque in fratrum curam interseramus, persuasionibus cohortetur. Statuit in medio puerum, et ait: efficiamini; sicut pueri. Et quicumque susceperit puerum talem; me suscipit. Ab Angelorum, quibus eorum fuit cura demandata, qui tenues abiectique frà-

tres, nulliusque putantur pretii, dignitate persuasit. Rursus a Patris voluntate, quod nec illi videatur, ut ex his vel unus pereat. Ne igitur huiusmodi abiectorum animas ullatenus negligamus, ob id universa haec dicta fuere.

Tu autem etc.

℟. Sint lumbi vestri etc.

Lectio IX.

Porro qui Coelum ingredi cupit, sicut puer efficiatur, superbiamque omnem conculcet, ac fastum; de proximi salute laboret, ac curam gerat; hunc unum mentis habeat scopum, ut fratrem aliquem animae periculo, quod diabolica immissione hominibus obiici consuevit, eripiat. Neque enim dumtaxat oportet, ut quisque suae tantum saluti consulat, et contentus sua, sit negligens alienae; hoc etenim pacto, et suae perniciem affert. Verum decet, ut et stantibus egregiam quamdam, ac promptam animi voluntatem inseramus, et iacentes sursum erigamus.

Tu autem etc.

Te Deum etc.

Et quinta die non impedita.

In I. Nocturno de scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ex Bulla Canonizationis.

Lectio IV.

Iam suprema dies aderat, qua Iosephus eiusdem praescius, post labores tam multos, post tam longas aerumnas sempiterna quiete, ac beatitudine poliretur. Itaque correptus morbo, quem Medici levem, et ultimum ipse affirmabat, christianarum virtutum ope, earumque maxime, quas id tempus posceret, in occursum Domini parare se impense studebat. Morbi autem vim non patientia modo ipsius, atque animi aequitas, sed etiam Beatissimae Virginis, aliorumque Coelitum visiones suavissime leniebant.

Tu autem etc.

℟. Honestum fecit illum etc.

Lectio V.

Inter eas porro illa utique iucundissima, qua eadem Dei Mater sese illi conspiciendam dedit, complurium, qui religiosae illius disciplinae Alumni fuerant, numero comitata. Alia praeterea visione servum suum Deipara cum sanctissimo Filio suo recreavit, pollicita insuper fore, ut Ordo ab ipso institutus, de quo sollicitus erat, ne forte interiret, protegente se, reflloresceret. Quod quidem cum ad erigendos in spem suos magnopere pertineret, existimavit se, salva modestia, posse id eisdem palam facere, atque adeo debere.

Tu autem etc.

℟. Amavit eum Dominus etc.

Lectio VI.

Sanctissimo deinde Corporis Christi Viatico roboratus, quatuor e suis Alumnis in Vaticanum mittendos duxit: duos quidem, qui Sancti Apostolorum Principis aeneam statuam venerati, pium illius pedibus osculum darent, ceu te-

stem Catholicae Romanae Fidei, in qua emori, uti vixerat, Iosephus optabat; alios vero duos, qui a Summo Pontifice Christi Vicario plenam culpae omnis ac poenae remissionem ipsius nomine peterent, atque impetrarent. Sacra demum Unctione munitus, lacrymas inter ac preces suorum, sublatis ad Coelum oculis, et pendentis e Cruce Christi imaginem osculatus, sui compos, et sensibus valens, pacatissimum Conditori suo spiritum reddidit; octavo Kalendas septembris anni Domini millesimi sexcentesimi quadragesimi octavi.

Tu autem etc.

℟. Iste homo etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas, maior est in Regno Coelorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

In Cap. 18. Matt.

Iesus accersitum ad se puerum statuit in medio illorum, et dixit: amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut pueri, non intrabitis in Regnum Coelorum. Quod sane indicat, oportere unumquemque semet caeteris humiliorem praestare. Nam invidiae inanisque gloriae affectu puerulus omnino est alienus, purusque, ac simplex, primas ambire nec novit: et licet vel contumeliis vel verberibus impetatur, non moleste id accipit, nec si honoribus cumuletur, aut laudibus, propterea insolescit, aut inflatur.

Tu autem etc.

℟. Iste est etc.

Lectio VIII.

In medio autem illum statuit: volens vel ipso pueruli adspectu ipsos convertere. Animadvertendum porro quomodo ad naturalia nos virtutis opera evocat, ostendens posse nos libero delectu illa perficere. Illud autem quod ait, et qui

receperit unum puellum, talem in nomine meo, me recipit, hoc est non solum (inquit) vobis, si eiusmodi efficiamini, mercedem comparaveritis, sed etiam si et alios id genus propter me fueritis honore prosecuti, huius vestri in eos honoris gratia, regnum vobis in mercedem tribuo.

Tu autem etc.

℟. Sint lumbi vestri etc.

Lectio IX.

Pueros enim hoc loco simplices homines, minimeque fallaces appellat, qui se ad hanc propter Deum humilitatem depresserunt, abiecti neglectique a plerisque ac contempticii. Et quod valde mirandum, me, inquit, recipit qui huiusmodi receperit. Quemadmodum autem honorem illis regnumque, qui tales honoraverint, ita et supplicium iis, qui scandalizaverint, contumeliaque unum ex istis affecerint, adjudicavit.

Tu autem etc.

Te Deum etc.

DECRETUM

ORDINIS CLERICOR. REGULARIUM PAUPERUM MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM.

Relatis per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTI PP. XIV humillimis precibus P. Gaietani a S. Agnete Procuratoris Generalis Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum, quibus supplicabat, quatenus Religiosis universi sui Ordinis facultatem recitandi Officium et Missam S. IOSEPHI CALASANCTII eiusdem Ordinis Fundatoris, semel in mense die non impedita benigne impartiri dignaretur: Sanctitas Sua, ex speciali privilegio, Officium, et Missam praefati Sancti Fundatoris ab iisdem Religiosis sub ritu semiduplici semel in mense die non impedita recitari, et respective celebrari posse benigne concessit: quibuscumque in contrarium non obstantibus; exceptis tamen temporibus Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum, Vi-

giliarum ; sive cum ieiunio , sive absque ieiunio, nec non feria secunda Rogationum , atque illis feriis, in quibus secundum rubricas reponendum sit Officium Dominicae , aut de festo duplici, vel semiduplici translato. Die 3. Martii 1770.

Fl. Card. Chisius Praefectus.

Loco ✠ Sigilli

V. Macedonius S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM PAUPERUM MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM.

Porrectis Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTI Papae XIV humillimis precibus per Patrem Caietanum a S. Agnete Procuratorem Generalem Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum pro adprobatione suprascriptarum Lectionum propriarum secundi Nocturni S. Iosephi Calasanctii eiusdem Ordinis Fundatoris ; Sanctitas sua, audito prius R. P. Carolo Alexio Pisani Fidei Promotore, ad relationem per me infrascriptum Secretarium factam, petitas Lectiones secundi Nocturni erutas ex Bulla Canonizationis praedicti Sancti, prout iacent, maturè revisas adprobavit, easque una cum Homiliis, iam sub die 15. Martii 1768. à Sac. Rituum Congregatione adprobatis, quolibet mense, et diebus infra Octavam non

impeditis , à Religiosis praefati Ordinis recitari posse benigne concessit. Die 19. Maii 1770.

Fl. Card. Chisius Praef.

V. Macedonius S. R. C. Secret.

DECRETUM

CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM PAUPERUM MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM.

Quum tertio Kalendas Martii Anno superiore 1847 ad humillimas preces R. P. Iosephi Benitez a Conceptione Beatae Mariae Virginis Procuratoris Generalis Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in Hispania ab hac Sacrorum Rituum Congregatione adprobatum fuerit Officium proprium recitandum in Festo, et octava S. Iosephi Calasanctii ab Alumnis illius Congregationis, et Regni; Sanctissimum Dominum nostrum PIUM PAPAM NONUM humillime rogavit R. P. Ianuarius Fucile eiusdem Congregationis Praepositus Generalis, quatenus ad uniformitatem assequendam in universa Congregatione sua Pauperum Matris Dei Officium illud extendere dignaretur, adeo ut omnes Alumni qui sub

tessera eiusdem Sancti Institutoris militant, hoc Officium proprium recitare in posterum valeant: Sanctitas Sua, referente me subscripto Secretario, de speciali gratia benigne annuit pro petita extensione. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9. Iunii 1848.

A Card. Lambruschini S. R. C. Praef.

I. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

FINIS

ESERCIZI DI ORAZIONE

Che frequentemente si fanno da' Religiosi delle Scuole Pie secondo le occorrenze de tempi.

Quando si và fuori di Casa, domandata la Benedizione dal Superiore, si dice:

℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Averte oculos nostros, ne videant vanitatem.

℟. In via tua vivifica nos.

℣. Gressus nostros dirige secundum eloquium tuum.

℟. Et non dominetur nostri omnis injustitia.

℣. Utinam dirigantur viae nostrae.

℟. Ad custodiendas iustificationes tuas.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Tua nos, quaesumus Domine, gratia semper et praeveniat, et sequatur, ac

bonis operibus iugiter praestet esse intentos. Per Dominum nostrum Iesum Christum etc.

℟. Amen.

℣. Procedamus in pace.

℟. In nomine Iesu Christi. Amen.

℣. Adorate eum.

℟. Omnes Angeli eius.

Pater noster, Ave Maria etc.

Oremus.

Deus qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas, concede propitius, ut à quibus tibi ministrantibus in Coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Quando si ritorna in Casa, si dice:

℣. Beati qui habitant in Domo tua, Domine.

℟. In saecula saeculorum laudabunt te.

℣. Repleatur os meum laude.

℟. Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

℣. Averte faciem tuam a peccatis meis.

℟. Et omnes iniquitates meas dele.

℣. Cor mundum crea in me, Deus.

℟. Et Spiritum rectum innova in visceribus meis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Largire, quaesumus Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem, ut ab omnibus pariter mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

PER LA DISCIPLINA, O FLAGELLAZIONE.

Tre volte della settimana si fa in comune la disciplina, cioè il Lunedì, il Mercoledì, e il Venerdì, se non occorresse qualche Festa, o altro, per cui si trasferisce; e questo è il Modo, ed ordine di fare la Disciplina, o Flagellazione.

Levati via i lumi, mentre ciascheduno si prepara per flagellarsi, l'Ebdomadario dice:

In nomine Patris, etc.

Actiones nostras, quaesumus etc.

Apprehendite Disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta.

Padri e Fratelli, in memoria del molto, che patì il Redentor del Mondo per amor nostro in tutto il corso della sua vita e passione, offeriremo a Dio benedetto questa piccola mortificazione della presente Disciplina, unendola agl'infiniti meriti di esso Redentor Nostro;

ed in particolare all'asprissime battiture, che ricevette nell'atrio di Pilato legato nudo alla Colonna: e questo sia in remissione di tutti i nostri peccati, et imperfezioni.

Qui si comincia la flagellazione, dando principio con voce più alta al Salmo 50 alternativamente.

Miserere mei etc. Gloria Patri etc.

℣. A peste; fame, et bello, libera nos, Domine.

℟. A peste, fame, etc. *si dice tre volte.*

℣. Peccavimus, iniuste egimus, iniquitatem fecimus, miserere nobis.

℟. Peccavimus etc. *si replica.*

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum amen.

Ciò detto, s'invocano i Santi, de' quali si fà il medesimo giorno festa ed officio, o pure del giorno seguente: se è uno, dicendo l'Ebdomadario: Sancte N. Ora pro nobis, e gli altri ripetono: Sancte N. etc. Se sono più Sancti N. N. Orate etc. E qui finisce la disciplina; mentre ciascuno si raccommoda, avanti che vengano i lumi, si dice con voce più bassa il

Salmo 129.

De profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: *

Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: * ex omnibus iniquitatibus ejus.

℣. Requiem aeternum dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae Congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam etc.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Antiphona.

Salva nos, Domine, vigilantes etc.

Canticum Simeonis Luc. 2.

Nunc dimittis servum tuum, Domine: secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei : salutare tuum.

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Qui apparisce il lume.

Lumen ad revelationem gentium: et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria Patri etc.

Antiphona.

Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Oremus.

Visita quaesumus Domine etc.

Se non si fà allora, ma dopo l'orazione mentale della sera, come occorre nell'Inverno, si aggiunge (tralasciata la sopraddetta orazione) una delle Antiphone, che corre in quel tempo, con le solite orazioni. E poi Adoramus etc.

PER LA RINNOVAZIONE DE' VOTI

Per il giorno di Pasqua di Resurrezione, e del Natale di N. S. si fà la rinnovazione de' Voti da tutti in

mano del Superiore. Si cantano prima le Litanie della Madonna *con la Colletta* Gratiam tuam etc. *dopo il P. Superiore fa un breve sermone sopra i detti Voti della Religione, et indi ciaschedunc per ordine genuflesso avanti di lui dice:*

Formola per li Sacerdoti, e Chierici.

Ego N. a S. N. me ipsum totum omnipotenti Deo, ac Deiparae semper Virgini Mariae, offero et dedico; et Vota solemnia, alias a me emissa, libenter, et ex corde renovo et confirmo. Neapoli hac die Mensis Anni.

Formola per li Fratelli Operari.

Io N. di S. N. offerisco, e dedico tutto me stesso all'onnipotente Dio, et alla Madre di Dio sempre Vergine Maria; et i Voti solenni, altre volte da me fatti, volentieri, e di tutto cuore rinnovo e confermo. Napoli a dì del Mese Anno.

E ciò finito, il Superiore genuflesso con gli altri, dice.

Agimus tibi gratias etc.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

CORONA DI DODICI STELLE

DELLA

BEATISSIMA VERGINE MARIA

Composta da S. Giuseppe Calasanzio Fondatore delle Scuole Pie, per i bisogni di S. Chiesa, e così farsi degni della protezione di Maria in vita ed in morte.

N. S. Gregorio Pp. XVI. con Rescritto de' 7. Gennaio 1838, (quale si conserva nell'Archivio dei PP. delle Scuole Pie in S. Pantaleo di Roma) concede in perpetuo a tutti i fedeli l'Indulgenza di 100 giorni ogni volta, che divotamente reciteranno la seguente *Corona di dodici Stelle della Beatissima Vergine* composta da S. Giuseppe Calasanzio Fondatore di dette Scuole, facendola sempre recitare dagli scolari ec.

Il Santo protestò più volte di non aver mai chiesto grazia a Maria con questa Orazione, che non l'avesse ottenuta.

Può servire anche di Novena alle Feste di Maria Santissima.

Lodiamo e ringraziamo la SS. Trinità, che ci esibì Maria Vergine di sol vestita, colla Luna sotto ai suoi piedi, e con in capo misteriosa corona di dodici stelle. *In saecula saeculorum. Amen.*

Lodiamo e ringraziamo il divin Padre, che per sua Figlia la elesse.

℟. *Amen. Pater noster.*

Sia lodato il divin Padre, che la predestinò Madre del suo divino Figliuolo.

℟. *Amen. Ave Maria.*

Sia lodato il divin Padre, che la preservò da ogni colpa nella sua concezione. ℟. *Amen. Ave.*

Sia lodato il divin Padre, che l'adornò dei maggiori pregi nella sua natività. ℟. *Amen. Ave.*

Sia lodato il divin Padre, che le diè in compagno e sposo purissimo S. Giuseppe. ℟. *Amen. Ave. Gloria.*

Lodiamo e ringraziamo il divin Figliuolo che per sua Madre la scelse.

℟. *Amen. Pater.*

Sia lodato il divin Figlio, che s'in-

carnò nel suo seno, e vi abitò nove mesi. ℟. *Amen. Ave.*

Sia lodato il divin Figlio, che da Lei nacque, e le diè latte a nudrirlo. ℟. *Amen. Ave.*

Sia lodato il divin Figlio che nella sua puerizia volle essere da Lei educato. ℟. *Amen Ave.*

Sia lodato il divin Figlio, che le rivelò i misteri della Redenzione del mondo. ℟. *Amen, Ave, e Gloria.*

Lodiamo e ringraziamo lo Spirito Santo, che in sua Sposa la ricevè. ℟. *Amen. Pater.*

Sia lodato lo Spirito Santo, che a Lei la prima rivelò il suo nome di Spirito Santo. ℟. *Amen. Ave.*

Sia lodato lo Spirito Santo, per opera del quale fu insieme Vergine e Madre ℟. *Amen. Ave.*

Sia lodato lo Spirito Santo, per virtù del quale fu tempio vivo della SS. Trinità. ℟. *Amen. Ave.*

Sia lodato lo Spirito Santo, dal quale fu in Cielo esaltata sopra tutte le creature. ℟. *Amen. Ave, Gloria.*

Per la S. Chiesa cattolica; per la propagazione della Fede; per la pace tra i principi Cristiani, per l'estirpazione dell'eresie. *Salve Regina.*

Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.
Ut digni efficamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante praeparasti; da, ut cuius commemoratione laetamur, eius pia intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Orazione alla Sacra Famiglia.

Oremus.

Beatissimae Familiae tuae Nazarenae, quaesumus, Domine, meritis adiuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, Beatissimae Virginis Matris tuae, Sancti Iosephi Patris tui putativi, et Sanctorum Ioachim et Annae, Avorum tuorum, et Patronorum nostrorum intercessione donetur. Qui vivis etc.